



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1657

§. 208. Et mulierum. v. 27.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45549

Exurge igitur anima, exurge cor & corpus meum cum omnibus potentibus & viribus; accurrite ad crucem cum Christo Domino & Salvatore vestro portandam, considerantes ad amissim, quæ fecit & passus est pro vestro bono & salute, non temporalia modo, sed & æterna, considerate ut anima ejus tristis est, caput spineto transfixum, sanguine tincta coma turbata lineamenta, lacrymosi oculi, vincæ manus, incurvati renes, & ossa contusa, os sanguinolentum, humeri graviter onusti, collum humiliatum, celsipitantes, pedes, corpus gelidæ mortis imagine plenum; O mi Iesu!

§. 208. *Et mulierum. v. 27.*

Specialiter voluit Dominus per Evangelistam suam mentionem facere mulierum, ut intelligamus nullum sexum à passione Dominica excludi, secundo ut earum non vilipendatur devotio; quam Christus pijsimè admisisse legeretur, tertio ut insinuaret fœminarum in Christianismo futuram magis audacem devotionem in hoc primo devotarum fœminarum fermento quod ipse misit in totam mundam, ut totus ex eo fermentaretur, uti & factum videmus. Quænam autem ille fuerunt? indubiè multæ filiæ Hierusalem. Civium vxores, Principum, Consiliatorum & militum cognatæ, & ipsa mater Iesu cum sororibus Maria Jacobi & Salome, Veronica, Magdalenis, Marthæ, Ioanna, & alijs tam consanguineis, quam Christo devotis.

Utinam ò utinam omnes fœminæ in eorum numero essent, & viderent, quæ passus sit propter eas Dominus meus, & cognoscerent gratiam quæ data est ipsis. Utinam declinarent fœminas ab ambulando, & sequendo eos qui non sunt Christi, sed Diaboli, qui sectantur vanitatem, & ponunt ipsis verba mendacia, & ludificationes ipsis fabricantur. Utinam non formas filiorum hominum, sed in faciem Christi contemplarentur, multo profecto quietiorem vitam obtinerent, nec ingemiscerent, sero se fuisse ab hominibus delusos & desertos.

§. 209. *Quæ plangebant & lamentabantur eum. v. 27.*

Bonum & sanctum exercitium fœminarum plangere in sequendo Christo Domino, licet enim non defuerint viri etiam lamentantes & mestissimi, ut turba amicorum Christi, tamen de mulieribus specialis sit mentio planctus; quia eis ad planctum natura liberaliorem dispositionem de-